MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-31

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

FELDHUGEL, CARL FRIEDRICH

TITLE:

EINE KRITISCHE ABHANDLUNG UBER...

PLACE:

ZEITZ

DATE:

1841

Master Negative #

91-80279-31

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

8700
DZ6 Feldhügel, Carl Friedrich, 1810-
...Eine kritische abhandlung über Cicero's bücher De legibus, von Dr. C. F. Feldhügel...
Zeitz, Webel, 1841.
22 p. 28½ cm.

At head of title: Jahresbericht über das schuljahr von Ostern 1840 bis dahin 1841...

VOLUME OF PAMPHLETS

26614

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 10.2.91 INITIALS V.W.P.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)





PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

No. 4 8720 J26

Jahresbericht

über das

Schuljahr von Ostern 1840 bis dahin 1841,

womit zu der

öffentlichen Prüfung

der Schüler des Gymnasiums

am 29. und 30. März 1841

ergebenst einladet

M. G. Kiessling,
Professor und Rector des Gymnasiums.

Inhalt: 1) Eine kritische Abhandlung über Cicero's Bücher de Legibus von Dr. **C. F. Feldhügel.**
2) Schulnachrichten vom **Rector.**

Zeitz, 1841.
Gedruckt bei Immanuel Webel.

Etsi Marci Tulli Ciceronis de Legibus libros et iniuria temporum et librariorum incuria ac negligentia mancos ad nos pervenisse ac mendosos constat, tamen haud exiguam pravae eorum conditionis culpam editores sustinent, qui non profecti a certis quibusdam firmisque principiis huc illuc fluctuant (unum excipio Madvigium, qui in Emendatt. Tullianarum libro et acutius et verius multis de locis, quam ceteri interpretes omnes, iudicavit), nec raro ipsam veram Codicum scripturam aut coniecturis aut prava interpretatione sollicitant. Illud quidem, quum summa disputationis nostrae in eo sit versatura, ut firmiora quaedam horum librorum recensendorum fundamenta iaciantur, facile ex iis, quae postea disputabo, intelligetur; hoc, ne quis arrogantius, quam verius id a me disqutatum existimet, etsi a proposito alienum est, paucis exemplis comprobare haud pigebit.

I, 9. 27. iniuria editoribus et nimis Adverbium et mores Accusativus offensioni erat. Nam oculi, ut paucis absolvam, nimis arguti vocantur, quod argutiores sunt, quam ipsi cupimus, quum vel invitis nobis animi affectum prodant; mores autem vocabulum, quod omnes omnino Codices tuentur excepto Gud. 2., in quo haud dubie scribendi errore praetermissum est, non solum non incommodum, verum etiam, quum ex verbis antecedentibus quemadmodum affecti sumus male repetatur ac mente suppleatur quemadmodum affecti simus, necessarium est; non enim obiecto, ut ita dicam, quod ad indicat verbi vim terminandam accedat, carere possumus. Nec vero mores vocabuli paullo ante iam positi repetitio molesta videri potest, quum morum, ut ita dicam, effictio qua in parte oris eluceat, non, qua in re cernatur, exponatur.

Non rectius **II, 4. 8.** sermonis vocabulum in suspicionem vocarunt. Etenim, ut paucis complectar, sermonis vocabulo priori sermo quotidianus significatur, posteriore sermo philosophicus, a vulgari illo abhorrens; quo cur iura definiri nequeant, id quod Orellius ait, me non intelligere fateor, quum facere non possimus, quin ad iura definienda sermone aut vulgari, aut philosophico utamur. Ciceronem autem, quum totam de Legibus disputationem philosophorum, et Stoicorum quidem rationibus niti vellet (cfr. I, 5.), sermone etiam, qui a quotidiano illo abhorreat, usum esse neque ius legemque vulgi more intelligi voluisse, ex multis horum librorum locis intelligitur. Cfr. I, 6. 18. 19. II, 4. 9.

II, 6. 15 etsi Codices ad unum omnes vulgatam scripturam: at Theophrastus, auctor haud deterior mea quidem sententia — meliorem multi nominant — commemorant vero cet. tuentur, nec sane est, cur eam improbemus, tamen omnes fere editores turbas moverunt. Goerenzius quidem pro at particula ceteris servatis ait coniecit

scribendum esse; Schuetzius et Moserus viro docto cuidam, qui in Observatt. Miscell. 4, 3. p. 350. hoc de loco iudicium tulit, obsecuti *at* particula servata cetera sic refingenda esse iudicant: At Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia melior multo, nominat. Quae coniectura ne linguae quidem latinae rationibus convenit; nam neque multo loco ultimo positum recte se habet, neque nominare pro commemorare unquam Romanis, nedum Ciceroni, usitatum fuit; ipsum autem nominare vagius est, quam ut h. l. probari possit. Orellius denique, etsi censoris cuiusdam Halensis coniecturae: At Theophrastus, auctor haud deterior, mea quidem sententia, familiari tuo, et multi nominant, quae tum ob violentam verborum immutationem, tum propter nominandi Verbum minus recte usurpatum prorsus improbanda est, favere videtur, tamen nondum persanatum locum sibi videri pronunciat. At vera est Codicum scriptura; nam etsi haec verborum structura ab similium exemplorum, in quibus ex negandi verbo antecedente affirmandi verbum repetendum est, aliquantisper discrepat — nam pleraque illa ita sunt comparata, ut obiectum, quod Grammatici vocant, verbis expressum simplexque affirmandi notio ex antecedentibus verbis mente repetenda sit. Cfr. exempla, quae Madv. ad Cic. Fin. II, 8. 25 et Stallb. ad Rudd. II, p. 361. congesserunt; hoc autem loco non simplex affirmat, sed fuisse affirmat vel commemorat mente supplendum est —, tamen verbi illius omissio parenthesi interposita satis excusatur, praesertim quum et statim sequatur illud verbum, et at particula affirmationem sequi satis declaretur. Huc accedit, quod Cicero hos de Legibus libros, si quemquam alium librum, celeriter ac festinanter scripsit, nec scriptos perpolivit. Quid? quod hanc de Legibus disputationem ne ad finem quidem perduxisse videtur. Atque vel hinc (quamquam etiam aliae et graviores erant) causa repetenda videtur, cur hos de Legibus libros ipse non divulgarit, nec de div. II, 1., quum reliquos libros deinceps enumeraret, hos ipsos libros, quos ante quam de Finibus libros scriberet, compositos esse ex I, 20. 52. patet, commemoraverit. Illud vero in horum librorum vel interpretatione vel recensione hanc vim habet, ut non omnia, quaecunque aut minus accurate mente concepta, aut parum diligenter ad severiores rationes grammaticas exacta videntur, continuo ab auctore abiudicemus, sed quaedam celeri mentis impetui, quo incitatus auctor haec scripsit nec postea recoluit, tribuamus.

II, 14. 34. Orellius sententiam verborum planissimam sane, quam omnes ante eum interpretes intelligerent, parum recte cepit eamque ob causam negandi particulam, propter aut — aut coniunctiones disiunctivas ab hoc loco plane alienam in auctoris orationem intrusit. Sententia horum verborum haec est: Scire velim, quomodo aut tu assentiaris, aut ego, quum ne ego quidem, utpote mysteriis Eleusiniis initiatus, quod in lege posui, probare possim, retractem et corrigam.

II, 15. 39. Illa quidem, quae solebant quondam compleri severitate

iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultant! ut cervicem cet. Mirum quantum his verbis horum librorum interpretes decepti sunt. Itaque alii sedilia, alii theatra Pronomini adiungi voluerunt, idque ne Orellius quidem prorsus sibi improbari negavit. At quid tandem cervices oculosque torquet? An theatra aut sedilia? Quid igitur? Musica sive cantus voce, fidibus, tibiis, eaque vel exsultare recte dicuntur. Hoc unum quaeritur, num illa Pronomine musica satis recte denotari possint. Non minus recte, opinor, quam paullo post ista Pronomine denotata sunt. Nec possumus musica vagius Pronomine illo designata existimare, quum paullo ante de musica arte auctor locutus sit copiosius. Compleri autem illud severitate iucunda severitatem quandam iucundam musicae illius artis vim ac naturam fuisse declarat. Orellius quidem etiam alio nomine vituperandus est; nam quum recte Goerenzius et Moserus ex Codicum quorundam depravata illa quidem, sed veram auctoris manum satis declarante scriptura exsultantur particulam ut, qua aegre caremus, alteri enunciato addidissent, hic eam rursus oratione expulit.

II, 24. 61. Etsi scriptura, quam Codices summo consensu tuentur, non sane est, quod improbetur, omnes tamen interpretes excepto Goerenzio, qui tamen acerbum Adiectivum inepte interpretatur, locum corruptum esse clamant. At quid tandem corruptum est? verebitur, an acerbum? an denique utrumque? At verendi quidem verbo tam saepe eadem vis et apud Ciceronem et apud alios scriptores (cfr. Cic. Or. I, 1., de Orat. I, 24. 113. Leg. II, 15. 39.) subiicitur, ut id quidem nullo pacto suspectum esse possit; acerbum vero incendium cur, quum cautione maiore adhibita et domini voluntate spectata facile evitari posset, appellari non possit, equidem non intelligo. Iam vero quod Ciceroni obtrudunt quodque Orellius quoque non prorsus sibi displicere significavit incendium videtur arcere, id nullo pacto probari potest: namque non, quid videretur arcere, sed quid videretur arcere velle, dicendum fuit, ut et sua sponte apparet, et ex verbis elucet, quae antecedunt altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulcris cavet.

III, 19. 43. e quibus saepe opem referre possit. Quam scripturam etsi omnes omnino Codices constanter tuentur, omnes tamen nostrae aetatis interpretes uno Goerenzio excepto, qui tamen et ipse non satis apte ad persuadendum hoc de loco disseruit, Codicum scriptura relicta ad Manutii coniecturam rei publicae opem ferre confugerunt. Sed nihil est sane, quod a Codicum scriptura discedamus. Nam referre quum non solum in locum eum, unde deportaveris aliquid, reportare significet, verum etiam de iis usurpetur, qui aliquid in eum locum, unde profecti sunt primum, reportant, referendi verbum auguribus opem ex definitis caeli partibus petentibus ac civitati referentibus maxime convenire videtur. Quod autem opem referre neque apud Ciceronem, quod sciam, neque apud alios scriptores veteres exstat, id minime mirandum est, quoniam tum demum recte se habet, si locus, unde

quis petat auxilium, adiungitur; quod raro tantum accidere posse per se patet. Reipublicae autem dativum h. l. non requiro, quum *re* syllaba praeposita satis opem reipublicae referri declaretur.

Quum ex his, quae, ut potui, brevissime disserui quaeque multis exemplis facile augere possum, interpretes ne iis quidem locis, ubi Codices nihil plane difficultatis parant, satis recte semper iudicasse intelligatur, peius etiam in iis verbis structurisque restituendis versati sunt, de quibus Codices in diversas partes discedunt. Nec sane poterant in his ita versari, ut prudentioribus nostrae aetatis criticis satisfacerent, quum omni fere, quo in critica arte factitanda niterentur, carerent fundamento. Quicunque enim rectius in his libris recensendis versari voluerit, eum ante omnia et de universi apparatus critici et de singulorum Codicum auctoritate quaerere oportet diligentius, ut quid sibi anxili ex Codd. petendum, quid coniectura restituendum et quantum quoque loco singulis Codicibus tribuendum sit, cognitum habeat.

Iam si Codicum, quotquot collati sunt, diligentius perlustraverimus conditionem, dubitare non possumus, quin omnes ex uno fluxerint multis iam locis depravato, id quod luculenter perspicitur ex mirifico quodam omnium Codicum consensu, qui cernitur tum in lacunis et maioribus et minoribus depravatisque structuris per omnes Codd. aequaliter propagatis, tum in consentiente singulorum verborum et omissione et accessione.

Ac primum quidem, quae quinque locis I, 14. 40. I, 22. 57. II, 11. 28. II, 21. 54. III, 7. 17. reperiuntur lacunae maiores minoresve in omnibus Codd. eodem modo — quam praeterea II, 11. 28 inter verba colloc. putant et Nam illud vit. Ath. lacunam esse statuit de Turnebi sententia Moserus, eam sua sponte lacunam non esse patet, — eae Codd. nostros ex uno iam lacero admodum Codice fluxisse satis nos admonent. Huc accedit, quod omnes, quotquot adhuc collati sunt Codices, hos de Legibus libros tantum usque ad libri tertii cap. 20. continent, quum tamen et ex capitis illius verbis postremis rem illo libro tractatam nondum ad finem perductam esse eluceat, et ex Macrobio VI, 4, qui ex quinto huius operis libro locum quendam laudat, Ciceronem quinque certe libros de Legibus conscripsisse intelligatur.

Deinde vero multae singulorum verborum, quae ad integram sententiam necessaria sunt, reperiuntur omissiones, quarum origo, quum in omnibus Codd. eodem modo reperiantur, intelligi non potest, nisi omnes Codd. ex uno, cui iam irrepserint, Codice ortos esse statueris. Quod ut comprobem, pauca exempla afferam. I, 13, 33 procul dubio, sive naturam, sive, quod verius est, natura amplecteris, ius, etsi in nullo Codice reperitur, merito restitutum est. II, 1, 1 quum scriptum sit in codicibus: nam opinor illi alteri flumini nomen est vel esse quumque omnes horum librorum interpretes desiderari aliquid recte sensissent, merito Madv. Emend. Tull. p. 59 inepta Goerenzi, quam Schuetz. et Mos. receperunt, con-

iectura repudiata, id Pron. ante opinor orationi inserendum censuit. II, 10. 24 quum in omnibus Codd., quorum quidem auctoritas aliqua sit, sic scriptum sit: atque mea quidem sententia est, recte Madv. Emendatt. Tull. p. 64. eadem Pron. post quidem voculam auctori restituendum censuit; namque idem se sentire, atque Atticum, Quintum respondere oportet. Nec minus perspicuum est, II, 27. 68 verba quaedam excidisse, quibus operarum numerus definiatur; nam quum lege illa id Plato effici velit, ut sumtus sepulcrorum minuantur, sola temporis descriptione id non consequitur, quoniam, quod temporis detrahitur, aucto operarum numero compensari potest; nec vero Praedicati, ut ita dicam, forma activa Subiectum non requirit. Iure igitur editores praeter Goer. et Schuetz., qui perperam quini quinque diebus scribendum censebant, collato Platonis de Legibus loco, ex quo haec sumta sunt, quinque homines restituerunt. II, 11. 26, ubi non dubium est, quin quae cernerent scribendum sit, etsi omnes Codd. quae Pronomine praetermisso in cernere Infinitivo tuendo mirum in modum conspirant; nam quod Car. Steph. Cod. quidam pro cernere exhibet quae cernerent, id nihil nisi coniectura est. Nec magis dubitari potest, quin III, 5. 12 recte illis ab editoribus additum sit, ut h. l. similiter atque multis aliis locis, veluti I, 6, 20. III, §. 32 et 38. Ciceronis de Rep. libri monstrando denotentur. I, 9. 26 etsi Codd. minime consentiunt, hoc tamen ex variis eorum scripturis intelligi potest, reliquas Codicum discrepantias ex hac, quae iam in Cod. arch. fuit, scriptura obscuras nec satis intelligentias natas esse, atque vocabulum, quale illustratas, iam in illo omissum fuisse.

Similis omnium Codd. consensus in verbis a librariis orationi intrusis reperitur, quamquam hoc quidem corruptelae genus rarius esse solet. Cfr. I, 3. 9, ubi in omnibus Codd. inter orsus et traducor verba *si* inculcatur. I, 19. 50, ubi non dubito, quin vitare a librario additum sit. De hoc quidem loco vide, quae copiosius infra disputata sunt. II, 13. 32, quo loco Codd. aut quos, aut quod, aut quo, aut similem denique voculam ante disciplinae vocabulum exhibent. III, 16. 36, ubi omnes Codd. post nostro quidem verba *qui* Pron. habent. II, 24. 60, ubi pro vera scriptura: servilis unctura tollitor omnisque circumpotatio in omnibus Codd. haec scripta sunt: haec pr. s. in Legibus de unctura, quae (vel quibus) servilis unctura tollitur o. c.; eaque sic nata esse arbitror, ut aliquis, tollitor vocabulo, quod recte iam Manut. commendavit — nam et hoc haud dubie legis verbum est — iam depravato, quum relativam verborum structuram requireret, margini eam adpingeret, librariusque aut Codicis arch., aut eius, ex quo ille derivatus est, illud additamentum in verborum seriem reciperet.

Quum satis ex his, quae attuli, exemplis omnium inter se Codicum similitudinem in verbis a librariis et omissis et inculcatis insignem esse eluceat, ad aliud quoddam corruptelae genus

transeo, quod cernitur in scripturis pravis per omnes Codd. propagatis; in quo et ipso tanta est omnium inter se Codicum similitudo, ut ex uno iam depravato Codice eos fluxisse appareat. Cuius generis exempla etsi permulta afferre possum, tamen me coërcebo, ac paucis eisque luculentis rem comprobabo. II, 11. 27 omnes Codd. pro Larium habent patrum. III, 1. 1 diligis pro dicis. III, 3. 6 innoxium pro noxium. III, 9. 21 Saturnini supplicio pro Saturnino, Sulpicio. III, 10. 24 nullos pro nonnullos. III, 16. 36 sed nocuisse pro se nocuisse; ibid. fletus pro fluctus. III, 19. 42 dici pro dixi. III, 19. 44 in privatos homines pro in privos hom. III, 19. 45 possent pro posse. Aliis quidem locis dissident inter se Codices, ita tamen, ut varias Codicum scripturas ex scriptura in Cod. arch. iam depravata ortas esse appareat. Cfr. II, 11. 26, ubi Codd. veluti quum (vel quo) infans esset maxime religiosus praebent pro veluti quum in fanis essent maxime religiosis. III, 10. 24, ubi Codd. maiori nihilo vide, vel, ut Cod. Cr., maiori nihilo inde exhibent pro maiorum in illo vide. III, 11. 26, ubi Codd. vel tribunicia quis, vel tribunicia qui, vel tribunicia qui si pro tribuniciaque vis praebent. III, 19. 45, ubi Codd. aut patroni aut patronis pro latrones tuentur. III, 17. 38 etsi Codd. vehementius inter se discrepant, hoc tamen intellectu non difficile est, iam in Codice, ex quo nostri fluxerint, depravatam illam scripturam istam libertatem istam vel ista fuisse. Nam quod in paucis Codd., veluti in Vct. (quo signo breviter eum Codicem notabo, quem Mos. *Copp. Vict. b.* notavit), etsi haud dubie in meliorum Codicum numero habendus est, prior *istam* vocula prorsus praetermissa est, id librariis, qui duplex illud Pronomen concoquere non poterant, tribuendum esse certissimum mihi est; nec enim raro in his libris accidit, ut depravata Codicis arch. scriptura, si auctoris sententiae repugnare videretur, in ipsis melioris notae Codd. obliteraretur. Cuius generis unum admodum insigne exemplum afferam, quod III, 17. 39 reperitur. Ibi enim quum ex vera auctoris scriptura, quam Or. recte ei vindicavit, in Cod. arch. nata esset haec: uti ne sit ipsa libertas, in quo cet., *ne* particulam, quod sententiae adversari videretur, in pluribus Codd., veluti in Vct. Brux. Vindob. obliterata est.

Quum igitur omnium, quotquot collati sunt, Codicum in maioribus minoribusve lacunis exhibendis, in omissis adiectisque verbis, in pravis scripturis per omnes Codd. propagatis tanta tamque insignis sit similitudo, ut, si ex pluribus Codicibus fluxissent, miraculi instar is esset Codicum consensus, dubitari profecto non potest, quin ex uno Cod., quem archetypum breviter dixi, omnes nostri Codd. derivati sint.

Qua re quid profecerimus, non difficile est intellectu. Hoc enim profecimus, ut non id primum, quae quoque loco auctore dignissima sit Codicum scriptura, quaeratur — nam quae auctore dignissima est scriptura, tantum abest, ut semper ab auctore ipso profecta sit, ut

saepenumero mera sit librariorum coniectura —, sed ut quae in Cod. arch. fuerit scriptura, investigetur. Qua inventa, etiamsi depravatam esse pateat, a Codicis arch. vestigiis profecti totius simul orationis conformatione spectata veram ubique auctori scripturam restituere poterimus probabilius, quam si modo hunc, modo illum Codicem sequentes librariorum potius coniecturas atque hariolationes auctori obtrudamus, quam veram scripturam restituamus. Atque si quando ex Cod. arch. vestigiis veram auctoris scripturam exprimere non possimus, plus tamen iuvat fateri, nos, quid auctor ipse scripserit, nescire aliisque, quae nos ipsi non potuimus, restituenda relinquere, quam ea, quae librarii auctori obtruserunt, pro veris habere. Sed Codicis arch. scripturam, etsi multis locis facile nec data opera cognoscitur, saepe tamen difficillimum est exquirere, quum librarii saepenumero Codicis illius vestigia minus accurate prementes in alia omnia abierint. Ut igitur, ubi hoc factum est, Codicis arch. scripturam aut investigare aut ad eam quam proxime accedere possimus, diligentissima Codicum comparatio instituenda est, ut, qui Codicis illius scripturam summa cum fide tueantur, cognoscamus. Quo cognito eorum maxime vestigiis coniecturam niti oportet etiam iis locis, ubi propter mirificam Codicum discrepantiam, nisi meliorum Codicum familiam ante cognoveris, quam potissimum scripturam sequare, prorsus incertus haereas. Nec tamen comparatio ista recte institui potest, nisi singuli Codd. accurate excussi sunt; quod etsi a Mosero summa diligentia factum est, tamen nec Davisi, nec Goerenzi collationes satis plenae sunt, ut ex iis ad Codicum auctoritatem accuratius ponderandam multum proficere possis, nec denique Goerenzi fide satis dignae sunt; quod nisi aliunde constaret, non admodum difficile esset, exemplis ex his ipsis libris petitis comprobare. Quapropter comparatione ista, ad quam instituendam ne spatii quidem satis nunc mihi concessum est, in aliud tempus reiecta, nunc eos tantum locos, qui quomodo iam in Cod. arch. scripti fuerint, non sane dubitare licet, coniectura emendare conabor.

Ac primum de locis quibusdam disseram, in quibus iam in Cod. archet. — nam hoc genus corruptelae haud raro, ut supra vidimus, in eo deprehenditur — verba omissa esse videntur. Huc primum puto pertinere I, 24. 62, ubi mihi quidem non dubium est, quin inter laudata et quidem verba illa Pronomen, quod iam in Cod. arch. intercíderat, restituendum sit. Neque enim, quum verba sequentia Sed quorsus haec pertinent non uni laudandi verbo sint opposita, laudandi vis acuenda est, et si recte se haberet ista oppositio, est copula aegre carerem.

II, 17. 42. Ut, quomodo vitium, quo haec verba laborant, tollendum sit, intelligatur, primum qua re, qui illorum scelerum principes et praeter ceteros in omni religione impii erant, caruerint, quaerendum est. Carebant vero, ut ex non solum, sed etiam coniunctionibus elucet, duabus rebus, et vita et sepultura ac iustis exsequiarum. Graviter igitur ii erraverunt, qui vita Ablativum immutandum existimaverunt. Iam vero quum vita carere,

non addita re, in qua illud cernatur, non recte se habeat, dedecore cruciati adiungitur, ut intelligatur, quatenus vita i. e. vita, quam vere possis vitam nominare, caruerint. Atque sic sententia quidem salva est. Sed et Codicum, in quibus omnibus atque ante dedecore Substantivum additum est, vestigia, et orationis turbata concinnitas Substantivum simili potestate praeditum excidisse ostendunt. Quapropter non dubito infamia, quod et alibi dedecoris vocabulo adiungitur (cfr. Cic. Cluent. 22, 61.) ante cruciati Participium orationi inserere. Ceterum extremae syllabae similitudo etiam aliis locis haud raro effecit, ut a librario oculis aberrante verbum aliquod omitteretur. Cfr. II, 10. 24, ubi post quidem vocalem eadem Pron. excidit. Quod si quis cruciatus Participio commotus conscientia restituendum esse censuerit, id quod amicus quidam, quocum hanc meam coniecturam communicaveram, existimavit, huic coniecturae id obstat, quod h. l., ut ex iis intelligitur, quae Quintus respondet et Marcus fratri opponit, non de sceleris poena divina sermo est, sed de iis eventibus, qui Clodii furorem secuti sint.

III, 12. 27, ubi omnes Codd. popularem sane praebent, populare est sane restituendum est. Quod nostrae aetatis interpretes, quum pridem Turn., Man., Lamb. sic scribendum esse significassent, neglexisse miror. Nam non solum sua ipsius vi copula adiecta, verum etiam Codicum auctoritate commendatur; nam popularē non dubito, quin ex popularec̄ ortum sit.

II, 16. 41. Quamquam *et* particula, quae in media oratione, sive simplex, sive geminata ponitur, semper apud Cic. partitionis vim obtinet, neque unquam aut augendi aut adiungendi vim assumit (ut recte sensisse ii videantur, qui, veluti Kritzius ad Sall. Cat. 35. leviorem quandam vim in hac, quam in etiam particula inesse pronunciarunt), quamquam igitur haud raro ita usurpatur, ut alterum orationis, quae bipartita animo concepta est, membrum aut prorsus omittatur, quod, quum facile mente suppleri possit, nominari id nihil attineat, aut alio quodam modo inferatur, quod in priore membro explicando longius substiterimus, ut, quum ad alterum pervenerimus, obscurata iam sit instituta illa partitio — exemplorum copiam suppeditant Otto ad Cic. Fin. p. 376. Matth. de Anac. in F. A. Wolfii Anal. litt. II, p. 4. Madv. ad Cic. Fin. p. 801 sqq. —, tamen utrumque ab hoc loco alienum esse patet. Namque alterum orationis bipartitae membrum non multis verbis ab altero diremtum sequitur. Itaque ne desideraretur membrum alterum, quod priori responderet, neve exempla illa quasi de coelo delapsa sine ulla connectendi particula inducerentur, iure acutus ille Madvigius in Emend. Tull. p. 75. *et* ante Alexander addendum esse affirmavit, idemque recte, ea, quae his partt. coniungerentur, non semper ad severam aequalitatis legem exigi, saepeque alterum universe dici, alterum per exempla et particulatim efferri docuit. Nec tamen quam inchoavit huius loci emendationem, perfecit; nam structuram verborum, etiamsi *et* coniunctionem adieceris,

turbatam esse apertum est. Tantum et quae Ciceronis aetate fieri, et quae olim facta esse dicuntur, tamquam totius enunciati membra distineri oportet. At vero, si *et* coniunctione addita reliqua intacta reliqueris, quod olim fiebat, duobus membris distinetur. Iam quid faciendum sit, ut haec difficultas tollatur, subsequentis enunciationis verba *sed iam* satis argute declarant. Nam ea, quae sed particulae inest coërcendi vis, ab hoc loco prorsus aliena est. Ubicunque enim auctor simpliciter ad aliam rem transiri significat, simplici *iam* particula utitur, veluti II, 11. 27. III, 18. 27; idque etiam hoc loco faciendum esse, luculentius etiam intelliges, si Legg. III, 8. 18, ubi sed iam rectissime se habet, comparaveris. Postquam copiosius illic auctor de legatione libera disseruit, verbis sed iam si placet de provinciis discedatur semet ipsum in re, de qua disseruit, persequenda coërcens ad sequentia transitum sibi paravit. Hoc non cadere in nostrum locum luculenter patet. Nec vero id potest sed coniunctione h. l. significari, contra quam de ceteris legibus factum sit, de periuriis, de incesto nihil disputandum esse, quum de ceteris legibus disputandum esse auctor antea non diserte affirmaverit. Quum igitur sed part. ab hoc loco aliena sit creditque scriptura servata verborum structura turbetur, dubitari non potest, quin h. l., ut multis aliis, *sed* ex *se* ortum sit scribendumque sit credidisse. Iam de periuriis, de incesto cet. Similiter III, 16. 36 in Codd. nonnullis nocuisse in nocuit et transiit; quod contra II, 25. 62 pro vidisse Infinitivo, quem uno Cod. Vct. excepto (in quo vides sed haud dubie per coniecturam scriptum est) omnes Codd. tuentur, recte iam Manut. vides sed restituit. Ceterum haec me disputatio similis loci admonet, qui in Ciceronis Bruto 82, 283 reperitur. Ibi quum in Codd. scriptum sit: qui or. fuisset quum literis er. q. Cur., tum etiam cet., perperam huius libri editores aut defendendam hanc scripturam existimarunt, veluti Or. in peculiari Rhett. librr. editione auctore Beiero fecit, aut quum coniunctione transposita orator quum fuisset, veluti Sch. et Ell., scribendum censuerunt. Atque haec quidem transponendi ratio cur displiceret, in Exercitt. critt. p. 30 ostendi; Beieri autem Orellique interpretatio (recentiores huius libri editt. inspicere non potui) ei, qui accuratius haec verba ponderaverit, multo minus satisfacere potest; fuisset scilicet cum conditione positum supplendumque si diutius vixissent existimant. Quod quo minus probari possit, duo obstant. Nam primum conditionali huius enunciati formae non convenit, qui sequitur in altera enunciatione Indicativus. Certe si priorem sententiam sub conditione quadam auctor propositurus erat, conditionem, quum Indicativus subsequatur, reticere non poterat. Iam vero si assumseris, Curionem, quocum Calvus h. l. comparatur, a magistris parum institutum naturam habuisse admirabilem ad dicendum, in Calvo autem, ipso Cicerone ad Fam. XV, 21. 5 auctore, multas ac reconditas fuisse literas, conditionalem enunciati formam sententiae huius loci non consentaneam esse luculentissime confirmatur. Propius igitur ad verum accessisse putandi sunt ii, qui or.

fuit quum lit. scribendum censebant. Isti enim hoc certe intellexerunt, fuisset librariorum tribuendum esse aut negligentiae aut inscitiae. Quod quomodo natum esset, si accuratius attendissent, facile id ex fuit et ortum esse et hac facta mutatione *quum* additum esse intellexissent. Itaque *et — tum* particulae sibi respondent. Haec autem particularum coniunctio, quae in nominibus coniungendis et rarior et molestior, nec tamen prorsus spernenda est (cfr. Cic. Brut. 83, 320, ubi Or. in peculiari Rhett. edit. recte *et* restituit), in sententiis connectendis, quippe in quibus efferendis ista variatio multo minus molestiae afferat, haudquaquam ab auctore aliena est, etsi nuper ab Handio, haud dubie incredibili Goerenzi omnia similia, dissimilia miscentis socordia decepto, prorsus improbata est. Cfr. Handi Turs. II, p. 538. Goer. ad Cic. Ac. I, 4. 6. Brem. ad Cic. Fin. I, 12. Cic. Fam. XVI, 21. 3, ubi Or. optimi Medicei Codicis auctoritate recte sic scripsit: nam et audio illum libenter, tum etiam cet. Quod exemplum nostro vel eo simile est, quod librarii pariter atque nostro loco quum coniunctionem intruserunt.

Quamquam adhuc vel grammaticis rationibus, vel Codicum vestigiis ducti verba, quae a librariis praetermissa esse viderentur, auctori restituenda censuimus, idque eo magis nobis facere posse visi sumus, quo facilius in uno illo Cod. arch. unum alterumve verbum intercidere potuit: cavendum tamen est, ne, ubicunque hanc illamve vocem, quod aptior verborum structura, aut planior sententia fiat, adiectam velis, temere eam auctori obtrudendam existimes, id quod et Goer. Legg. III, 1. 1 fecit, quum ante quadam Pron. nimia addendum esse opinatur, et Wytt. Mos. atque Or. commiserunt, post grave Adiectivum II, 16. 41 hominibus excidisse suspicantes. Ac de Goerenzi quidem coniectura, quum quidam Pronomen Substantivis appellat. additum (nam ex ea, quae huius Pronominis propria est, vi haec facile emanat) pro varia sententiarum conditione ad vim Substantivi tum minuendam tum augendam valere constet, non est, quod pluribus disputetur. De altero autem loco, quum etiam apud deos verba, pro quibus apud vos restituerunt, a plurimis horum librorum editoribus spreta sint, diligentius disputandum est. Ut recte autem hoc de loco possis iudicare, ante omnia verba etsi haec commemoratio vereor, ne supra hominis fortunam esse videatur recte interpretanda sunt; quibus haec videtur contineri sententia, deos commemorationem illam, quia supra hominis fortunam esse videatur, posse inique ferre. Hoc si ita est, tantum abest, ut *vos* coniecturam amplecti possimus, — nam quomodo id, quod apud Quintum fratrem et Atticum loquitur, hanc vim habere potest, ut dii id minus moleste ferant? — ut verba illa tum demum prorsus apta videantur, si etiam haec verba ad deos ita referuntur, ut in commemoratione illa nec superbiae nec insolentiae quicquam inesse dii existimare queant. Nec vero dubito, quin auctor suo quodam iure, quum toto libro de religione ad deos spectante loquatur, sermonem sibi esse apud deos, qui quodammodo testes sunt eorum, quae de iis loquitur, dicere

possit. Haec igitur tene, metum quendam a Cicerone ante esse significatum, ne dii fortunae suae commemorationem tamquam insolentiorem moleste ferant, eumque eam tantum ob causam, quod sibi apud deos sermo sit, illam commemorare in animum inducere; nec iam inepte auctor, gratum id potius diis, quam grave esse, i. e., ut recte Mos. interpretatur, molestum propter arrogantiam, cupere tibi videbitur. Quid? quod deorum hominumque comparatio, quum hominum antea non facta sit mentio, perquam inepta esset. Ad verba, quae sequuntur, quod attinet, res, de qua cogitavit quamque iam antea verbis quae ante oculos sunt, ea potius attingantur satis aperte significavit, tum particulâ primum monstratur, deinde vero, quod oratione continuata accuratius ei describenda videbatur, nomine ipso appellatur. Simplex autem illa, quam primum posuit, rei significatio eo minus potest offensioni esse, quo magis ista res animo eius obversabatur. Quodsi tum particulam sic intellexeris, neque ita, ut orationi continuandae inserviat, id quod Mos. contendit, non intelligo profecto, quo iure in ea offendas.

Deinceps de locis quibusdam disseram, qui, etsi in omnibus Codicibus depravati sunt, tamen, quomodo in Cod. arch. scripti fuerint, aut omni procul est dubitatione, aut certe coniectura assequi non tam difficile. I, 2. 7 Moseri Codd. Cr. W. Vct. Par. B. habent multus et ineptus datio summa impudentia, a qua scriptura Par. A. et C. ita discedunt, ut pro datio s. imp. verbis praebeant ad summam impudentiam (in hoc simul *et* particula inter multus ineptus omissa); Mon. sic, ut multus et ineptias ad summam imp. exhibeat. Illorum Moseri Codicum scripturae accedunt Davisi Codd. El., Harl. 1 et 2, Is. Vossi Codd., quos ad Catull. p. 339. commemorat, et Goerenzi Cod. Dr. uterque. Alii vero Goerenzi Codd., veluti Brux., Cass., Gud. 1 et 2, si fides Goerenzio habenda est, praebent multas ineptias datio summam impudentiam; Davisi Cod. Ball. multas ineptias summa impudentia exhibet datio vocabulo praetermisso, Reg. ac Par. multas ineptias ad s. imp. Qua ex Codicum discrepantia mihi quidem videtur elucere, et *datio* et multus et ineptus scripturas in Cod. arch. fuisse proque eis librarios menda aperta sublaturos et ad et multas ineptias suopte ingenio correxisse; nec dubito, quin id luculentius etiam intelligatur, si, quibus maxime Codicibus horum librorum recensionem niti oporteat, exploratum sit. Et de *datio* quidem voce, pro qua recte elatio restituerunt, nemo sane adversabitur; de altera vero scriptura et ii dubitabunt, qui multas ineptias Ciceroni vindicarunt, et qui cum illis sentiunt. An vero eam scripturam Ciceronis esse putemus, qua orationis concinnitatem ita turbatam esse pateat, ut ne minima quidem turbationis causa appareat? Quapropter ex indicata illa Codicis arch. scriptura orationem h. l. sic refingendam existimo: cuius loquacitas habet aliquid argutiarum (nec id t. — librariolis latinis), in orationibus autem, multis et ineptis, elatio summam

impudentiam, ut sententia haec sit: Macri loquacitas habet aliquid argutiarum, elato in orationibus, quibus et multis et ineptis utitur, summam impudentiam. Orationes autem intelliguntur eae, quas rerum gestarum enarrationi interposuit; quae ineptae vocantur, quod nec personis, quibus tribuebat, nec temporibus accommodatae erant. Multus autem Adiectivum ea, quam significavi, vi nemo sane in hac verborum structura improbabit, qui quidem, qua vi Adiectiva illa postposita sint, intellexerit. Librariolis autem h. l. a librariolae vocabulo ducendum esse, nec vero, ut et Wytt. et Mos. statuunt, a librarioli vocabulo, totius loci sententia luculenter declarat. Quamquam vero librariolus saepius apud Ciceronem, librariola hoc uno, quod ego sciam, loco reperitur, id nihil, quominus sic statuamus, impedit; nam nec sermonis latini analogiae repugnat — cfr. filius — filiolus, filia — filiola — nec raro fit, ut verba diminutiva vel frequentativa *ἅπαξ λεγόμενα* reperiantur. Impudentiae vocem, de ceteris falsus, recte Madv. auctori vindicavit in Emendatt. Tull. p. 2 et 3.

I, 13. 37. Adres publicas firmandas — omnis nostra pergit oratio. Verba, quae his praecedunt, recte iam ab editoribus et loci sententia et Codicum vestigiis spectatis sic sunt restituta: Sed iter huius sermonis quod sit, vides; nam iniuria videtur Mos. de iter vocabuli veritate ambigere, quod haud raro ab ipso Cicerone translate usurpatur. Cfr. Cic. Fin. IV, 14. 37. Haec ipsa autem verba, de quibus nunc disputaturi sumus, non item sunt recte constituta. Codd. Moseri, quibus accedere videntur omnes Davisi et plures Goerenzi ad resp. firmandas et ad stabiliendas vires sanandos populos praebent, eamque iam in Cod. arch. fuisse scripturam mihi persuasum est. In qua quid turbatum sit, si quaerimus, primum vires ex iura ita ortum esse certum est, ut *s* litera verbi sequentis illi adhaereret; quo facto stabilienda Part. illi voci accommodatum est. Recte igitur Schuetzius stabilienda iura restituisse putandus est. Deinde vero verba sanandos populos, id quod et structura verborum et ipsa sententia faciendum esse declarat, pari modo atque verba antecedentia ad pergit referenda sunt (nam quod Goer. sanandos esse populos scripsit, id et linguae latinae legibus adversatur, et ipsa huius loci sententia respuitur); quod idem Schuetzius recte iam sensit; sed quod *et* coniunctionem, omnium Codd. auctoritate stabilitam ante stab. iura expulit, ad Praep. ante sanandos addidit sanandosque in sociandos mutavit, egisse videtur violentius. Ego quidem, quum Ciceroni non solum leges describere, quae ad optimum illud civitatis genus a Scipione probatum essent accommodatae, ac vi et minis omnia cogere, verum etiam mores serere et persuadere esset constitutum (cfr. I, 6. 20. II, 6. 14) sanandos Part. verissimum iudico nec quicquam aliud in Cod. arch. scriptura mutandum, nisi que particulam, quae per *q* literam scripta ante ꝑplof (ita enim populos per compendium scribitur) facile intercidere potuit, sanandos Participio adiungendam esse censeo. *Ad* Praepositionem, quam Schuetz. addidit, non requiro, quum alterum

et tertium orationis membrum arctiore inter se contineantur vinculo; quod contra *ad* Praepositione addita utrumque membrum tamquam plane diversum et idem momenti habens, magis inter se distineretur. Cf. Hand ad Wopk. Lectt. Tull. p. 385. Beier ad Off. I, 38. 137. *Que* autem particula tertium membrum alteri tamquam accessionem adiungit ex altero nexam.

I, 19. 50. Pro vulgata scriptura erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia Codices, quorum collationem Mos. literis mandavit, Cr. W. H., mirifice ille cum Vct. congruens et Mon. (modo quod is iam pro etiam exhibet) praebent erubescunt pudet etiam loqui de pudicitia eisque accedunt et Davisi Codd., nisi quod in quibusdam eorum iam pro etiam scriptum est, et quatuor Goerenzi, quos Goer. ipse non nominavit; Cod. vero Vind., si fides Goerenzio habenda est, pudici etiam pudica loqui habet, Gud. 2. duobus verbis prioribus omissis impunica loqui. Paullo post autem pro vulgata scriptura qui nullum vitium [vitare], nisi iudicio ipso notatum putant Moseri Codd. Cr. W. Vct. vitium et iudicium verbis transpositis exhibent qui nullum iudicium vitare, nisi vitio ipso; cui scripturae convenit scriptura Cod. Haun., nisi quod is pro nullum Pronomine ullum habet. Moseri Codicibus accedunt omnes Davisi et quatuor Goerenzi; unus Cass. vitium — vitio habet, Brux. et Vind. initium — vitio. Denique pro notatum, quod vulgatur, Codd. longe plurimi aut mutatum aut multatum praebent, Brux. ac Vind. notum, Cass. nominatum habet. His expositis vulgatam scripturam haudquaquam Codicum satis firma niti auctoritate facile est intellectu. Huc accedit, quod neque a dicendi genere auctori familiari, neque a sententia commendatur. Nam quis tandem Ciceroniani sermonis peritior erubescunt illud pudici cum Inf. iunctum, quamquam poëta haud indignum sane est, Ciceroni vindicandum esse statuat? Quis deinde veteris philosophiae gnarior in verbis illis qui nullum vitium nisi iud. ipso not. put. Epicureorum agnoscat philosophiam? qui quidem non id, quod iudicio notatum esset vitium, dicebant vitium esse, sed id, quod damna, aut detrimenta, aut cruciatus, aut dedecora afferret sua ipsius natura. Cfr. quae paullo post disseruntur quaeque Torquatus Cic. Fin. I. inde a cap. 13 de singulis virtutibus vitiisque contrariis disputat. Atque idem fere hoc loco dici necesse est, ut ex sequentibus verbis: Quid enim? possumus eos — pudicos dicere cet. elucet, de impudico. Nam quae sequuntur verba, ita ad antecedentia, quibus Epicureorum sententia continetur, referuntur, ut illa his refutentur. Itaque, quum ne Codicum quidem scripturam veram esse pateat, vitare Infinitivo, quem recte iam nostrae aetatis interpretes tamquam librariorum interpretamentum eiecerunt, expulso pro iudicium scribas suadeo impudicum, et quam requiri h. l. vidimus sententiam Epicureorum, habebis, nam mulctari etiam alias, non addita re, qua quis multetur, translate usurpatur, veluti Cic. Rab. Post. 1, 2. Cic. Fam. VI, 7. De uno, quod dubitationem iniicere possit, ipso Pronomine, ne nimis nunc longe a re ipsa

aberremus, postea viderimus. Ad priora autem illa verba quod attinet, nihil certius est, quam eorum Codd. auctoritatem esse sequendam, qui pudet pro pudici praebent, quorumque aliquot etiam alias plerumque veriorem, i. e. eandem, quam Cod. arch. habebat, scripturam, aut certe ei simillimam praebent. Nec sane accuratius haec verba considerantem fugere potest, quomodo pudet in pudici mutari potuerit. Subiectum scilicet librarii desiderabant, quod erubescunt Verbo adderetur. Ut erubescunt autem eis, quae antecedunt, verbis coniungendum statuamus, duo praeterea sunt, quae nos impulerunt; et primum quidem *ut* coniunctionis alteri enunciato secundario additae iteratio, quae iterata non esset, si ad praecedentia potius verba, quam ad erubescunt alteram illam enunciationem secundariam referri auctor voluisset; deinde vero totius orationis ratio flagitare quodammodo videtur, ut aeque pudicus, atque innocens et verecundus per interrogationem ironicam infamiae metu, ut pudicus sit, impelli negetur.

Quae quum ita sint, vel sententia, quae h. l. requiri videatur, vel Codicum vestigiis spectatis orationem sic refingendam existimo: Innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut bonum rumorem colligant, erubescunt? pudet etiam loqui de pudicitia? (haec postrema quidem verba interrogationis per ironiam illatae vim augent). Posteaquam vero interrogatione illa per ironiam proposita temperantiam et pudicitiam sua ipsius natura, non infamiae vitandae causa appetendam esse demonstravit, ad Epicureos transit, affirmatione iam utens nec contemtum eorum dissimulans, illorumque sententiam de vitio ipso conceptam ad unam, de qua proxime dixerat, impudicitiam accommodat, eiusque sententiae perversitatem eo redarguit, quod eos, qui a stupro infamiae metu arceantur, etsi vitio ipso damnum non faciant (id quod ad impudicitiam contrahendam necessarium putabant Epicurei), tamen pudicos negat posse nominari.

I, 20. 52. Quo tandem? Lubenter enim, frater, ad istam orationem tecum prolaberer. Mirum sane est, quod Quintus, quo Marcus, nisi se retinuerit, lapsus sit, quaerens, ad istam orationem lubenter se cum eo prolabi affirmat; non enim ista oratio est talis, qualis praecedentis orationis cursu spectato exspectari possit, sed certam quandam significat orationem, quae qualis sit, ex eis, quae antecedunt, satis cognitum sit. Referenda igitur sunt haec verba ad orationem praecedentem, qua et ius et omne honestum per se expetendum esse demonstravit. Quae quum ita sint, non ad istam, sed cum ista oratione prolabi potest. Atque sic vulgatam scripturam immutandam esse, ut haec inde efficiatur sententia, vel Codicum vestigia arguunt. Nam Moseri quidem, qui solus Codicum suorum scripturas enotavit, Codices ad unum omnes praebent cum ista oratione; nec dubito, quin etiam alii aliorum Codices Moseri Codicibus, qui haud dubie Cod. arch. scripturam propagarunt, accedant. Accidit igitur et hoc loco editoribus, quod haud raro eis accidit,

ut, quum de vulgatae scripturae veritate non dubitarent, aut non inspicerent suos Codices, aut eorum certe scripturas non enotarent. At quî tandem cum oratione simul et cum Marco prolabi potest? nam ea quidem res editores, ut ad istam orationem scriberent, impulisse videtur. Sic vero habeto, tecum ad id spectare, quod Marcus paullo ante longius se, nisi se retinuisset, lapsum esse dixit, *cum oratione* autem verbis rem designari eam, quacum lubenter se Quintus una cum Marco prolabi fatetur.

I, 24. 63. Et ipse verba, etsi in Ursini quodam Cod., in Cod. Ball. ac Vind. omissa dicuntur, iam in Cod. arch. fuisse, constanti reliquorum Codd. consensu declaratur. Quapropter cavendum est, ne temere ea pro librariorum additamento habeamus; nam quamquam et ille iam habebat verba non a Cicerone, sed a librariis profecta, raro tamen in eo sic peccatum est. An vero et ipse verba sententiae nostro loco propositae non consentanea sunt? Sunt vero. Nam quum Tullius et lubenter, et, ut speret, recte se id facere dixerit, quod philosophiam, cuius studio teneatur, quaeque eum, quicunque sit, effecerit, non possit silentio praeterire, Atticus merito id et sua sponte eum facere, et fuisse id in hoc sermone faciendum respondet. Ipse autem Pronomen non solum, quid facias ipse, altero non adiuvante, significare, verum etiam id, quod tua sponte i. e. nulla vi externa coactus facias, Beierus docuit ad Cic. Off. I, 22. 76. cfr. Cic. de Orat. I, 24. 111. Matth. ad Cic. Cat. II, 1. Neque *et — que* particularum coniunctio potest offensioni esse ullo modo. Nam etsi severiorem rei in partes divisionem non, nisi *et* particula geminata denotari certum est, tamen vel Ciceronem, postquam primum partitionem instituit, deinceps leniter orationis cursu flexo alterum membrum per que particulam adiungere solere constat. Quod quamquam, si ad severiores cogitandi dicendique leges exegeris, non recte fit, tamen liberius istud dicendi genus, praesertim in sermone familiari, non ingratum est. Cuius generis exempla apud ipsum Ciceronem tam multa exstant omnium Codicum auctoritate confirmata, ut audaciae sane sit, hoc dicendi genus ab auctore abiudicare. Cfr. Cic. Legg. I, 11. 31. ad Fam. I, 5. b. 1. Tusc. I, 2. 4, ubi perperam Handius *et* pro *adeo*, quod nusquam significat, dici affirmat. Nec rectius Cic. Rosc. Am. 17, 48. *et — que* sibi respondere negat. Cfr. praeter eos, quos Handius Turs. II, p. 527. laudat, viros doctos in primis Madv. ad Cic. Fin. V, 22. 61. Relinquitur, ut de prioribus huius loci verbis disseratur. Iam etsi plurimi horum librorum Codices, si Goerenzio fides habenda est, *vero* exhibent (pro quo Pal. 4. *vere* habet), tamen non hoc, sed quod Moseri Codd., interque eos Vct. atque Goerenzi Cod. Dresd. uterque praebet, revera Codicis arch. scriptura fuisse videtur; hoc vero non dubito, quin ex recte vero verbis ortum sit, quae ipsa ex Cod. Haun. (in quo per coniecturam sic scriptum est) enotata sunt. Quid enim? quum et ipse fuitque sibi respondeant, propter *et* coniunctionem merito Adverbio praecedentem eiusdem potestatis Adverbium aliquod antecesserit necesse est. Quod si Madv. in Emendatt. Tull. p. 58. vere

esse coniecit, errasse putandus est vir egregius. Nam vere semper ad iudicium refertur, neque huic loco aptum est, ubi iure, an iniuria philosophiam laudet, quaeritur. Quae quum ita sint, sic puto orationem refingendam: Recte vero facis et merito et ipse fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciendum. Nec vero puto, *et* particulae cumulationem, quae haud raro et a Cicerone et ab aliis scriptoribus extra partitionem iam institutam ad verba singula inter se copulanda in eadem enunciatione usurpatur, cuiquam offensioni fore. Cf. Cic. Fin. II, 25. 81. Cic. de Orat. I, 37. 170. Cic. ad Fam. XIII, 29. 2. Cic. de Orat. I, 9. 38. Liv. XL, 33.

II, 11. 28. omnes Codd. haec praebent: Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu; sed quamvis acriter postremum verbum post Turnebum defendat Goerenzius, quod auctor nec brevius nec distinctius templi dedicandi ritum exprimere potuerit, tamen absurdum id esse patet. Primum enim certus quidam et ab aliis diversus templorum dedicandorum ritus, id quod Goer. vult, ubi de templis dedicandis in universum sermo est, inepte commemoratur; tum vero h. l. non de dedicandis templis, sed de virtutibus divino honore colendis disseritur; nam hoc potius consecrandi verbo denotatur, quam templorum dedicatio. Iam vero quum manu scriptura illa ad Verbi vim terminandam spectare non possit, ad virtutes, quas antea commemoravit, necessario referenda est; nam manu verborum serie expellere potius, quam verbum, ex quo ortum sit, substituere summae videtur audaciae esse. Quae quum ita sint, Adiectivum aliquod illis Codicum vestigiis contineri necesse est; nec potest id aliud, quam humana fuisse; nam virtutes humanas esse intelligendas quum sua sponte patet, tum ex eis, quae sequuntur, verbis parenthesi circumscriptis habent autem omnes boni luculenter perspicitur.

II, 13. 32. In Codicibus hoc loco haec sunt: quae est in avibus ceterisque signis quod (pro quod alii Codd. aut quos, aut quo, aut similem denique voculam praebent) disciplinae nostrae summos esse concedimus. Quapropter haud scio, an possit cuiquam hic locus in iis numerandus videri, in quibus librariorum negligentia, praeterquam quod coniunctio in alienum locum transposita sit, verba quaedam intercederint. Atque hac opinione haud dubie nitebantur, qui vulgatae scripturae quod quum summos deos esse concedamus auctores exstiterunt. Sed quum quod coniunctionis transpositio haud sane probabilis videatur multoque eam tollendam esse, ut ex *dis* syllabae compendio natam, sit vero similius — nam *quod* et *dis* simili compendio notabantur, unde multis locis ex *dis* syllabae compendio natum est *quod*; cfr. Freundi Orat. Milonianam; hoc autem loco *dis* syllaba restituta quod remansit, — tum vero summos Superlativus ineptissimus est. Nec enim facile dixeris, qui summi sint dii, nec de quibusdam diis, sed de diis universis h. l. sermo est. Generale autem hoc esse omnium deorum epitheton affirmare insipientis est, nec unquam in

libris de Nat. Deor. ac de Divinat., quotiescunque deos commemorat, hoc vel simile epitheton auctor adiunxit. Quae quum ita sint, summos Superlativum puto ex trium verborum compendiis natum esse scribendumque existimo si enim deos, quae verba his compendiis notabantur: si. n. dos. Conditionalem autem huius enunciati formam, non causalem, quam horum librorum editores intulerunt, huic loco esse accommodatam perspicitur ex assumtione, quae sequitur: sunt autem ea, quae posui, ex quibus id quod volumus, efficitur et cogitur i. e. sunt autem dii; ergo divinatio est.

II, 17. 44. Tantum ponam — duplicem esse poenam divinam. Singulas virorum doctorum coniecturas, quas ad hunc locum restituendum excogitarunt, si refutare instituerem, operam sane perdere mihi viderer. Namque ita sunt comparatae omnes, ut facile eas ineptas esse sua sponte intelligatur, veluti Lambini, quam Schuetzius probavit, coniecturam: tantum ponam brevi duplicem esse poenam divinam, atque Davisi: tantum ponam, rebus dupl. esse poenam divinam. Moseri quidem coniectura crimini dupl. esse poen. div., quae constet et ex vex., in qua praeter crimini Substantivum etiam quae constet verba in reprehensionem incurrunt, recte ab Orellio eo profligata est, quod crimen apud Ciceronem idem, quod scelus significare negavit. Neque tamen quae ab Orellio ipso proposita est coniectura, quum nimium a Codicum vestigiis discedat, nec propterea ipsum huic loco satis accommodatum sit, probari potest ullo modo. Quomodo huic loco succurrendum sit, etsi non difficile est intelligere, tamen ut firmo nostra coniectura nitatur fundamento, Codicum ante scripturas dispiciamus. Praebent vero Codices et plurimi et optimi aut metui aut merui, ut alterum utrum iam in Cod. arch. fuisse mihi quidem certissimum sit. Quorum utrum in eo fuerit, nihil refert scire, quum utraque scriptura nihil fere literis discrepet. Erebi, quod Cod. Dr. 1. praebet et Wytt. a prima manu habet quodque in plures editiones veteres transiit, sine dubitatione coniectura est librario haud indigna. Quod duo autem Codd. a Manutio laudati vocem inexplicabilem illam prorsus omiserunt, id aut scribendi errore, aut loci depravati emendandi causa factum esse patet. Quae quum ita sint, unde metui vel merui natum sit, quaeritur. Apertum vero est, auctorem a tristi inimicorum conditione persequenda se cohibentem id tantum additurum esse, quid de poena sceleris divina iudicandum sibi videatur. Iam vero quum sceleris poenam divinam esse intelligendam sua sponte non minus h. l., quam §. 43. pateat, neque igitur Substantivum addendum sit, quo, cuius rei poena divina sit intelligenda, significetur, hoc unum reliquum est, ut id, quod de duplici poena divina dicit, Ciceroni ipsi visum esse significetur. Scribendum igitur censeo: tantum ponam, videri duplicem esse poenam divinam, quod constat et ex vexandis cet. Qua in coniectura hoc unum potest dubitationem afferre, quod videri potius, quam duplicem primo loco positum sit. Nec nego equidem

posse haec verba salva sententia sic transponi, ut duplicem Adiectivo praeposito scribatur: duplicem videri poen. div. esse; nec tamen necessarium id esse, nec invitis Codicibus committendum arbitror. Quum enim duplicem, etiamsi videri Infinitivo postponatur, utpote verbis poenam divinam praepositum nequaquam vi ipsi necessaria exuatur, tum videri, quo suam ipsius sententiam cum modestia quadam auctor proponit, cum vi quadam praepositum non magis potest offensioni esse, quam Legg. I, 2. 5. Off. III, 3. 12. Hoc loco coniecturam mihi liceat retractare, quam paucis abhinc annis in Exercitatt. critt. p. 41. de verbis praecedentibus proposui. Quum enim perrupta, corrupta Participia ἀσυνδέτως posita ferri non posse opinarer, temere alterum eorum oratione expellendum iudicavi. Nec verius de hoc loco statuunt, qui *et* coniunctionem censent addendam esse; qua addita orationis gravitas mirum quantum minuitur. Mihi quidem, quum omnis dicendi vis in perrupta, corrupta verbis posita sit, tantum abest, ut hoc asyndeton offensioni sit, ut etiam ardori, quo auctor incitatus in inimicos invehitur, maxime consentaneum esse videatur, si modo verba sic interpuncta scripseris: iudicia perrupta ab iisdem, corrupta hominum, non deorum. Nam quod deorum iudicia corrupta tantum, non item perrupta esse negantur, id nihil sane habet momenti, quum illa deorum hominumque oppositio facile auctori progredienti subnasci et, ne orationis concinnitas desideraretur, addi potuerit.

Iam quum illius scriptiunculae, quam admodum iuvenis scripsi quamque multis locis refictam vellem, mentio iniecta sit, alium quendam errorem in illa admissum nolo praeterire, praesertim quum ne Madv. quidem, criticus sagacissimus, verba, de quibus male tunc disserui, recte constituisse videatur. Is enim quum recte Fin. IV, 20. 56. errorem a me commissum (scribendum vero censueram natura ipsa commoda) ita redarguat, ut naturae vocabulum plane abundare dicat (nec enim quemquam, quin natura commoda essent, si modo essent, dubitavisse) Erlangensisque Codicis, quem recensionis suae tamquam fundamentum posuit, auctoritate (is enim habet naturae acommodam, quum ceteri fere Codd. aut natura ipsa commoda, aut natura ipsa commodata praebeant) merito naturae accommodata restituerit: in eo tamen non videtur reprehensione vacare, quod ipse Pronomen, unius Codicis auctoritatem secutus, oratione prorsus expulit. Sciunt enim omnes, qui accuratius Codices perlustraverint, quam saepe vel in melioris notae Codicibus singula verba scribendi errore praetermissa sint, quae tum ceterorum Codicum auctoritate, tum sententia ipsa flagitante restituenda sint. Hoc vero loco eo minus Pronomen illud omitti potest, quo luculentius Pronomine servato plurimorum Codicum depravatio intelligitur. Scilicet Participii subsequentis prima litera ipse Pronomini adhaesit, atque inde plurimorum Codicum scriptura commodata vel commoda nata est. Videtur igitur scribendum esse: quae bona non audet appellare, naturae ipse accommodata esse concedit. Ceterum prima illa naturalia, quae Stoici, etsi praeponebant, tamen a summo bono seiungebant, modo commoda (Fin. V, 30. 90. IV, 21. 59), modo naturae accommodata (Fin. IV, 21. 59) a Cicerone dici satis notum est.

II, 20. 50. vulgo editur: pontifices pecuniam sacris coniungi volunt. Haec si vera essent verba, hypallage quaedam statuenda esset, qualem in mutandi, miscendi aliisque huius generis verbis passim vel apud scriptores pedestris orationis reperiri scio. Sed iure quodam meo talem hypallagen ab hoc loco alienam esse contendere mihi videor, quum et supra pontifices pecuniam disertis verbis tamquam fundamentum posuerint, cui sacra adiungerent, et idem h. l. factum esse ex verbis eluceat, quae sequuntur, iisdemque (i. e. eisdem, qui pecuniam acceperint) ferias et caerimonias adscribendas putant. Iam quomodo huic loco succurrendum sit, Codd. ipsi demonstrant. Nam Moseri quidem Codd. omnes interque eos Vct., cuius Codicis auctoritatem haud parvi esse faciendam ex diligentissima Codicum comparatione per duos libros instituta cognovi, pontificum pecuniam sacro exhibent, quae scriptura haud dubie iam in Cod. arch. erat. Hinc haud scio, an auctori verba sua restitueris, si scripseris: pontifices cum pecunia sacra coniungi volunt, ut h. l. auctor eodem modo, atque §. 52. loquatur. Goer. et Dav. de suis Codd. nihil annotaverunt, nec tamen recte inde omnes eorum Codices vulgatam tueri collegeris. Vide, quae p. 15. dixi.

II. 25. 63. Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit, ocius terra humandi cet. Haec et quae sequuntur verba, si totam hanc auctor disputationem ad severiores cogitandi leges exigere voluisset, causam continerent eorum, quae antecedunt, oportebat. Debebat igitur auctor antiquiore illa sepulturae simplicitate aut praetermissa, aut per enunciationem secundariam breviter descripta, statim ostendere, quonam modo sapientissimi legum scriptores illud tetigissent. Quod contra longius rem repetens et huius rei quasi historiam persequens principio simplicia fuisse sepulcra ac funera tradit, quumque sensim sumtuosa funera ac lamentabilia fieri coepissent, sumtum Solonis lege sublatum esse, quumque postea amplitudines sepulcrorum accessissent, hanc consuetudinem et ante Demetrium, et quum rursus increbuisset, a Demetrio ipso lege minutam esse narrat. Quae quum ita sint, verbis, quae §. 63. continentur, simplicitas funerum ac sepulcrorum describitur, quae antiquissimis Graeciae temporibus fuerit. Nec tamen ista, quam memoravi, funerum ac sepulcrorum simplicitatem iam prioribus huius paragraphi verbis: nam et Athenis — terra humandi describi, ex permanendi verbo elucet. Nam quomodo id fieri potest, quum et illo sepulturae quoddam genus, quod non solum antiquioribus, verum etiam posterioribus Graeciae temporibus permanserit, commemorari significetur, et auctor ipse non multis verbis interiectis posteriore aetate et funera et sepulcra sumtuosa facta esse testetur? Simpliciter igitur mos ille Atheniensium, mortuos terra humandi significari, simplicitas autem sepulturae

sequentibus demum verbis declarari videtur. Hoc si ita est, ocius Adverbium, quod Goerenzius ad Atheniensium consuetudinem mortuos tertio iam die efferendi spectare opinatur, quum octavo demum die Romae sint elati, hoc loco ineptum esse vel hinc intelligitur. Sed nec potest ocius Adverbium ad tempus spectare, quod inter mortem ac sepulturam intercedebat (ad tempus potius spectaret, quod in ipsam humationem impenderetur), et ea, quae in terrae vocabulo vis posita est, Adverbio illo praeposito prorsus exstingueretur. Quum igitur neque ocius, quae multorum apud Goer. Codicum scriptura est, neque hoc ius, quod Moseri Codd. praebent, probari possit, quaenam huic loco medicina adhibenda sit, quaeritur. Duae vero emendandi viae iniri possunt; aut enim obiectum, quod vocant, terra humandi verbis adiiciendum, aut Substantivum quoddam restituendum est, quod potestatem habeat Subiecto similem. Hoc etsi cuipiam veri similius videri possit, quum ille mos verba *iam a Cecrope* verbis interiecta omni fere dicendi vi exuantur, quaeque eis adduntur verba terra humandi nimis ab illis remota videri possint: tamen, quum nec facile, quod Substantivum ex hoc ius verbis eliciendum sit, intelligatur, et terra humandi verba, quamquam a Substantivo suo longius remota, cum vi quadam recte sint postposita, alteram emendandi rationem probabiliorem iudico. Quapropter mortuos scribendum censeo. Qua in coniectura si quis id maxime reprehendendum existimaverit, quod nec literarum similitudine Codicum scripturae satis conveniat, nec quomodo Codicum scriptura ex illa nata sit, intelligatur, is hoc teneto, aut in Cod. arch., aut in eo, ex quo ille fluxit, non raro in una alterave litera omittenda peccatum esse, atque inde haud raro accidisse, ut librarii corruptelae causam non perspicientes ex Codicis vestigiis verba latina efficerent, quae nec sententiae consentanea sint, et a vera auctoris scriptura aliquantisper literarum similitudie discedant.

Verba, quae antecedunt: Nostrae quidem legis interpretes — minuendam sic refingenda sunt: Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubentur — hoc intelligant inprimis. Nam legem h. l. commemoratam non legem quandam romanam in XII propositam, sed legem ipsius Ciceronis esse supra in legibus positam: Sumtum in ollos luctumque minuunto iam quidem particula nostrae Pronomini adiecta satis nos admonet. Atque hoc ita esse, luculenter inde apparet, quod iis, quae in XII essent, expositis, fratri, qui maiorum se admodum delectari sapientia affirmat, ita respondet, ut responso priora illa non tollantur quidem, sed tamen aliquid, quod ab illis seiunctum sit, opponatur. Si igitur lex h. l. commemorata ipsius auctoris lex est, supra in legibus posita, non possunt interpretes, qui nondum exstiterunt, eam sic intelligere, ut sepulcrorum etiam magnificentiam ex illa minuendam esse iudicent. Ergo intelligant scriptura restituenda est, quam Codd. Vct. et Mon. praebent. Qua probata aptissime interpretes, si qui quando exstiterint, admonentur, ut lege illa generaliter proposita sepulcrorum quoque magnificentiam minui iudicent.

III, 10. 23. Nam isto quidem modo vel consulatus vituperabilis est. Haec, quae a Mosero, Codicum auctoritates numerante, non ponderante, et ab Orellio (Goerenzius quidem vituperetur restituendum coniecit) probata est scriptura, sive sententiam, sive Codicum vestigia spectas, non tam certa est, quam primo adspectu multis videri possit. Ac de Codicum scripturis ut primum dicam, mirum sane esset, quod, si vituperabilis iam in Cod. arch. scriptum fuisset, Codices tanto opere inter se discreparent; nam etsi sat multi Codices, veluti 4 Davisi, 2 Goerenzi et Moseri Vct. Cr. Wytt. illam scripturam tuentur, alii tamen, veluti Dr. 2. vituperatio est, alii, veluti Palatt. omnes, Par. Ball. Mon. vituperio est, alii denique, veluti Brux. Vindob. Gud. 2. vituperet praebent. Quae quum ita sint, non dubito, quin vituperabilis sit coniectura a librariis profecta; atque hoc ita esse ad liquidum perducitur, si et huius ipsius vocabuli et totius loci sententiam accuratius consideraveris. Nam vituperabile est id, quod vituperatione dignum est; non, quod vituperari potest; sententia autem huius loci magis hanc, quam illam sibi vim poscit, id quod recte iam sensit Madvigius, qui in Emendatt. Tull. p. 89. consulatus vituperatio est coniiciens nihil aliud eo significari voluit, quam: consulatus vituperari potest. Quamvis vere autem vir egregius, si solam sententiam spectas, iudicaverit, male tamen hanc illis verbis contineri sententiam perhibuit. Nam Substantiva verbalia in *io* desinentia, eam, quam ipse illis subiecit, vim tum demum continere, si Adiectivum vel Pronomen Adiectivum accedat, exempla eum poterant docere ab ipso allata, veluti Cic. Acad. II, 16. 51. Omnium deinde inanium visorum una depulsio est. Quare sententia, quam ille auctori vindicavit, probata ex Codicum vestigiis restituendum puto vituperari potest; quod quum per compendium *vitupari*p̄ scriberetur, facile, quomodo singulae Codicum discrepantiae, altera *p* litera omissa, inde oriri potuerint, intelligitur. Genus autem illud corruptelae haud ita rarum in Cod. arch. erat. Cfr. quod p. 6. iam memoravi exemplum uti ne pro ut in eo.

III, 10. 25. vulgo scriptum est: quae tamen sic data est, ut multis praeclarissimis addiceretur; quam scripturam mire, sive sententiam, sive verborum structuram spectas, Goer. tuetur. Neque tamen Codd. a vulgata scriptura discedunt, nisi quod pro addiceretur in quibusdam Codicibus est adduceretur, veluti in Gud. 2 et Cass. (in Wytt. est aduceretur, in Cr. adiceretur), quod iure recentiores horum librorum editores in verborum seriem receperunt. Sed ne sic quidem orationem Ciceronis integram esse patet. Quod quum non fugeret editores, Lamb. legibus, Dav. et Mos. Senatus consultis, Orellius rebus gestis addi voluit; Schuetz. vero multis in muneribus, Madv. in vinclis mutandum censuit, Cannegieterus denique priscis legibus pro praeclarissimis auctori restituendum existimavit. Nobis quidem, priusquam de hoc loco statui

quicquam posse censeamus, hoc quaerendum videtur, ad quamnam aetatem haec, quibus plebs adducta auctoritati principum cessisse dicitur, spectent. Spectant vero non ad posteriorem aetatem, qua tribuni iam nati acriter plebi libertatem vindicabant, sed ad aetatem regibus expulsis proxime coniunctam. Tum autem Poplicolae maxime opera, ut plebes principum auctoritati cederet, effectum esse, et aliunde constat, et ex Ciceronis ipsius, quae de Rep. II, 31. reperiuntur, verbis luculenter intelligitur. Haec enim ibi auctor verba posuit: Haud mediocris hic (sc. Poplicola), ut ego quidem intelligo, vir fuit, qui modica libertate populo data, facilius tenuit auctoritatem principum. Ea autem, quae Poplicola, ut principum auctoritatem teneret, perfecit, non Senatus consulta, non munera, non res gestae, ne leges quidem multae praeclarissimae vocari possunt. Nam una maxime lex erat, qua magnam apud populum iniret gratiam, lex de provocatione lata. Instituta vero, quibus plebem sibi conciliaret, cum ipsa illa lege coniuncta plura erant; nam lege illa perlata, Cicerone ipso auctore, statim secures de fascibus demi iussit, instituitque, ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, fascesque demitterentur, quum consules in concione dicere coepissent. Nec vero id, quod lege illa consecutum quodque L. Valeri Potiti et M. Horatii Barbati lege sanctum est, ne quis magistratus cum provocatione crearetur, recte institutum potest appellari. Quae quum ita sint, non dubito, quin institutis, quod per compendium scriptum propter literarum similitudinem facile vel omitti, vel in exitum Superlativi transire potuit, auctori restituendum sit. Itaque aut praeclarissimis institutis, aut praeclaris institutis scribendum est. Si vero praecl. institutis vagius dictum nec satis, quae eis cum plebe necessitudo fuerit, designatum esse putaveris, popularibus institutis commendo; quod quum per compendium scribatur p̄plarib'ı̄ſtitutiſ, ı̄ maxime compendio praetermisso (quo omisso etiam II. 25. 63. iniecerant in fecerant transiit) facile in p̄clariſſimiſ mutari potuit.